

VINCULA

Thalami conjugalia;

VIRI

Nobilissimi ac Doctissimi

DOMINI

MICHAELIS

Beniglen/

Notarii Archivi Mariæburgensis,

J. U. C. & Pract. Dignissimi,

Cognati sui æstimatissimi

INITA

Cum

VIRGINE

Letissima omnique Virtutum genere maxime conspicua,

MARIA

DOROTHEA

Nobilissimi Amplissimi ac Consultissimi

DOMINI

DN. MARTINI EGGERTI,

Pro-Consulis quondam Mariæburgensium meritissimi,

Relicta Filia,

Ipsa solenni Nuptiarum die,

D. 20 Septemb. A. M. R. 1110 CCXII.

Piis votis comitari voluerunt, debuerunt

Intus Denominati.



T H O R V N I I,

Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SENAT. ET GYMNAS. Typogr.

Multus quid sibi vult hominum concursus in
urbe?

In multis sibi quid gaudia tanta volunt?

Cur Mariæburgi gratantia Carmina psallunt?

Hymnis cur sonuit clangor ab ære tubæ?

Auguror, optatam produxit Titan ab axe

Lætiferamque diem.

Lætiferam dico, læti quia plausibus omnes

Blandis exultant, ac metus omnis abest.

Ecce! novum Sponsum, Sponsamque novam ecce
jugalis

Non injucundò junxit amore fides.

Iunxit, & idcirco tædas præferre sacratas

Gaudeo connubii, sim licet ipse procul.

* **C**arus namque mihi semper Cognate fuisti,

Ergo non aliud quam bona cara precor.

Non

* C, loco K. quod apud Latinos exultat.

Non Tibi, crede mihi, verbis hic blandior ullis,
Omnia sincerò corde profecta putes. (Etiam
Tequè, Tuamque Tibi DORO NEAM fœdere jun-
Adjuvet ex alto NUMINIS auxilium.
REX REGVM vestro semper benedicat amori,
Is prolem multam vosque videre sinat
Vestra &, cum celsi venietis ad atria Cœli
Sera, DeVS Merces pLenior esse VeLIt.

Joh. Adamus Sobieray.



ROmani, prisca Teucrorum stirpe creati,
Gentilesque alii, qui relligionis amore
Deludebantur stultæ, tribuisse diebus
Consuerant tantum, ut sententia firma sederet
Mentibus illorum, quod nil rerum esset agendum,
Ni prius eventum vellet promittere faustum
Exoptata dies. Quoties tum mente studebant
Deserta patria terras lustrare remotas:
Vel quoties sævi instabant discrimina belli:
Observanda dies fuerat, probeque notandum,
Quo sua sumpsissent primordia lumine prima.
Quodsi fausta dies, rerum prosperrima fata

Spera-

Sperabant: sin, tentabant producere tempus.
 Quare pro rerum successu candida, sive
 Atra vocabatur lux hæc: quid nempe notabat.
 Observantur adhuc luces a gentibus illis,
 Quas alit Hesperis regio contraria terris.
 Sic Mahomedista⁷antes fulmina & ignes,
 Nec pugnas ineunt duras, nec prælia tentant,
 Ni fieri id possit certis faustisque diebus.
 Christicolæ nostri quamvis hæc omnia spernant:
 Non tamen idcirco contemnunt omina fausta,
 Quæ solet opportuna dies ostendere nobis.
 Quodque die, in fastis quæ vulgo Fausta vocatur,
 Optime, cui bona quæque precor, cognate jugali
 Te vinclo sociare velis: facis auspice cælo.
 Namque dies Tibi conjugium prædicit amœnum,
 In quo faustus eris, quo non felicius ullus.
 Confirmatque omen justum Dorothea pudica,
 Quando Dei donum divinum sponsa vocatur.
 Congruit egregie pulchro cum nomine virtus.
 Nam pietatis amans: huic sunt cælestia curæ:
 Pacati huic mores, præclara modestia vultus:
 Illa torum conservabit sine crimine castum,
 Floridiorque domus prato, præstantior horto.
 Quid magis a sponsa dilecta, sponse, requires?
 Quare, cum mihi sis consanguinitate propinquus,
 Sponse, nec ore queam testari gaudia mentis,
 Hinc absens scripto totus Tibi carmine grator.
 Vivite vos fausti: felices vivite semper,
 Degentes Longe, *pyLIIqVe æqVate seneCtaM.*

Samuel Sobieray,